



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Impudentia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

*Evander gelida monstrat sub rupe Lupercal,
Parrhasio dictum Panos de more Lycai.*

En. lib. 8.

Ceterum apud Argivos Cyoniae Deae propter partus facilitatem sacri erant. Sed animadvertendum est plerisque locis Cyoniae vocabulum corruptum esse scriptorum negligentia, qui lyoniam fecere: vel quod arbitrati sunt a solvendi partum facilitate vocabulum conformatum. Apud Lacedaemonios Marti Canis propter audaciam & invadendi promptitudinem offerebatur: eorum enim ephēbi inter se certaturi, priusquam certamen inirent, Canis catulum illi Deo, utpote fortissimo, victimam ex cicuribus validissimam offerre se arbitrabantur. Ex aliis Graecis nemo, ut Paulanias ait, praeter Colophonios, talibus sunt operati: hi enim Catellam nigram Triviae sacrificabant. Et Caribus mos fuit Canem immolare, unde *καρῖνός θύμα*. Erant & Canaria apud Romanos auspicia, Canaria quibus apud Catulariam portam rutilae Canes, non procul scilicet à rubro colore, sacrificabantur, ut *quid.* ait Attejus Capito, cum pro frugibus contra uredines atque scævitiā Caniculae sideris faciebant. De sacrificio huiusmodi Ovid. Factorum 4.

*Pro Cane sidereo Canis hic imponitur aris,
Et quare fiat nil nisi nomen habet.*

Plerique tamen ideo factum dicunt, ut flavescentes fruges ad maturitatem perducerentur. Sidus enim Caniculae frugibus est admodum inimicum. Non ignoramus autem Thracas cum alibi, tum Praecipue in Zerintho Samothraciae antro, nihil fere libentius immolare, & epulari solitos, quam Canem, memorabili Euripidis nece, qui propter maectatum ab eo Canem, (ut nonnulli ajunt,) ab Archelai Canibus interceptus, miserime laceratus est. Quamvis alii dicant Aridei Macedonis, & Crateri Thessali invidorum opera, quod gratia plurimum polleret apud regem, Canes eas immittas fuisse, corrupto pecunia Lysimacho, earum curatore.

IMPRUDENTIA. CAP. XXXIII.

Nam id quoque Canis est significatum, eaque de causa apud Homerum Helena se Canem accusat: quod abominanda tot malorum causa atque author fuerit, ita Hectorem allocuta dicitur

Ἐμῷ κύνος κακομηχανὴν ὀκνησάν. Apud eundem Agamemnon quoque accusatus ab Achille *κύνος ὄμματ' ἔχειν*. Nam, ut apud Pollucem legimus, Canis oculum habere dicitur is, qui nimio plus impudens est, cui si etiam importunitatem adjeceris, Homeri ejusdem *κύνος* feceris pro impudentissimo, Muscae scilicet & canis ingenio copulato. Cynomyjam Euthymius sylvestris Muscae genus agnoscit, quod inter cetera Muscarum genera est impudentissimum, de qua Psalm. 77. quamquam super hac alibi. Hanc Catullus impudentiam expressit, ubi Acmen codicillos reddere pernegantem, Canem censet appellandam. Et Mathematici impudentem litigatorem ostensuri, duobus Zodiaci locis canino capite hominem statuunt; secundo quippe Arietis gradu, & Capricorni xvii. Sed nos hic de ea loquimur impudentia, qua quis fretus, projustitia vel pietate audeat unumquemque vel ex potentioribus hominem erroris admonere, vel impuritatis arguere, dummodo spes profectus affulgeat, nec importuna temeritatis in vitium prolabatur.



D

PETULANTES JUNIORES. CAP. XXXIV.

Non prateribo hic militarem ordinem eorum, qui PETULANTES JUNIORES appellabantur, sub magistro militum per Illyricum: ii enim, ut assumptum nomen hieroglyphica pictura testarentur Canem luteum in rubra parma praeferebant, in cujus medio orbis erat coloris lutei Canis, superne pedibus, quoad fieri poterat, exporrectis. Sane quidem, ut veterum quorundam est interpretatio, in Divinis literis Romani milites, qui Pilato praesidi adfitebant, Canes vocantur.

Pilati Canes,